



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

worinnen enthalten, was vom Jahr 1643. biß in den Monath October Anno 1645. zwischen Jhro Römisch-Käyserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1734**

**VD18 90103084**

§.XXII. Friedens-Schluß zwischen Schweden und Dännemarck.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51787](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51787)

1645.  
Sept.

dente bello, & ex occasione ejusdem, sine legitima autoritate introductæ, revocentur & aboleantur.

1645.  
Sept.

Ad 12. Placet, quod sufficienter provideatur Securitati Tractatus in præsentiarum faciendi, ita, ut eidem impune impofterum nequeat contravenire.

Ad 13. Dicunt Plenipotentarii Cæsarei, Sacram Cæsaream Majestatem ad ullam Satisfactionem Coronæ Franciæ non teneri, quin potius e contra causam justissimam Propositioni ejus nomine factæ, postulataque Restitutioni cum omni causa insistendi habere, prout eidem hisce Legati Cæsarei insistent, & continuam desuper Responzionem expectant.

Ad 14. Declarant, multo minus se videre, ex quo fundamento Corona Franciæ Satisfactionem pro Fæderatis suis, ac nominatim pro Landgravia Hassiæ prætendat, fuisse jam pridem cum hac in conditiones certas conventum, quas Majestas Sua etiamnum ratas habeat. Cæterum placere, ut utriusque Partis Fæderati & Adhærentes hac Pace comprehendantur, quorum tamen nomina, ut cuivis, quem admittere velit, possitive statuere liceat, retenta sint.

Ad 15. Placet denique, ut omnium belligerantium Partium in Imperio Militia totaliter exauctoretur, retento ex iis, qui volent, & in suos status traducto, eo tantum numero, quem quæque Pars pro Securitate sua necessarium judicaverit.

Ad 16. Majestas Sua jure & ante omnia postulat, sibi & Fæderatis ac Adhærentibus, & nominatim CAROLO, Duci Lotharingiæ, totique ejus Domui, occupata a Corona Franciæ intra certum terminum restitui.

Ad 17. Placet, ut in hac Pacificatione, ex parte duarum Coronarum Franciæ & Sueciæ, Reges, Principes ac Status ante Conclusionem hujus Tractatus nominandi comprehendantur, sicuti vicissim Majestas Sua Cæsarea ex sua parte, quos comprehensos velit, nominabit.

Ad 18. Placet, ut hæc Pacis Conventio, postquam conclusa, subscripta & sigillata utrinque fuerit, simul eodem tempore, tam Osnabrugæ quam Monasterii, inter Partes commutetur, ac deinde ab illo momento firma & rata sit, omniaque Conclusa mox Executioni demandentur. Porro autem Confirmationes ejusdem, tam ab Imperatore ac Imperii Statibus, quam Regibus sive Regnis eorumque Ordinibus ac Statibus, locis ac temporibus determinandis, & juxta formulas utrinque concipiendas, tradantur.

## §. XXII.

Friedens-  
Schluß zwi-  
schen Schweden  
und Dänne-  
mark.

Weil vorhero (Lib. II. §. 3. 10. 18. 19.) ausführlich gemeldet worden, was vor eine Unterbrechung der gegenwärtigen Friedens-Congress, durch den, zwischen denen beyden Cronen Schweden und Dänne-marc entstanden Krieg, erlitten habe; so wird nicht undienlich seyn, das darauf erfolgte Friedens-Instrument, wie es die Schweden auf dem Congress einigen anwesenden Gesandtschaften communiciret haben, alhier mit beyzufügen. Es ist zwar dasselbe in das Corps Diplomatique des Mr. Du MONT, Tom. VI. P. I. p. 315.

Sqq. aus des LOCCENI Historia Svecana, mit eingedrucket worden, weicher aber in verschiedenen Stücken von dem gegenwärtigen Exemplar ab. Bey dem LONDORPIO, Tom. V. p. 937. ingleichen im Theatro Europeo, T. V. 835. und bey GASTELIO de Statu Publico Europe, C. VI. n. 140. p. 226. ist nur eine Deutsche Uebersetzung davon: Und in des BOECLERI Historia Belli Svecico-Danici, welcher doch diesen ganzen Krieg, in dreyen Büchern, umständlich beschrieben hat, ist es gar nicht einmahl anzutreffen. In Schmaufens Corpo-

1645.  
Sept.

*Corpore Juris Gentium T. I. p. 540.* steht schein Sprach, aus solchem Brömsebroi-  
auch nichts, als ein Extract, in Deutschen Frieden.

1645.  
Sept.

Serenissimæ ac Potentissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ CHRISTI-  
NÆ, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designatæ Reginæ & Prin-  
cipis hæreditariæ, Magnæ Ducis Finlandiæ, Principis Esthoniæ & Careliæ  
& Dominæ Ingridiæ, Dominæ nostræ Clementissimæ, ut & Regni Sueciæ  
Senatores & Plenipotentes Commissarii, Nos infra scripti *Axelius Oxenstier-  
na*, Liber Baro in Kimitho, Dominus in Fyholm & Tydohn, Eques Au-  
ratus, Regni Cancellarius & Judex Provincialis Norlandiarum Occidenta-  
lium & Lapponiæ, *Matthias Soop* in Malfafier & Piurum, Judex Provincia-  
lis Ingridiæ, *Thuro Bielke*, Liber Baro in Salestat, Dominus in Froswiteck,  
& *Thuro Sparr* in Eyckstad & Ruffleata; Omnes Sapremi Judicii Stock-  
holmensis Assessores, notum his facimus, quod cum ab aliquo jam tempore  
inimicitia & dissidia exorta sint, inter S. R. Majestatem & Regnum Sueciæ  
ab una, & Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Do-  
minum CHRISTIANUM Quartum, Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum,  
Gothorumque Regem, Ducem Selesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithma-  
riæ, Comitem in Oldenburg & Delmenhorst, & Regnum Daniæ ab altera  
parte, atque inter alia præcipue de Navigationis, Commerciorum & Ve-  
tigalium, & quæ hinc dependent, in Freto Oresontico, immunitate; quæ  
omnia eo tandem eruperunt, ut ex se generarint accenderintque præsens  
hoc ardentissimum bellum & armorum concertationem inter Suas Majesta-  
tes & inclyta hæc Regna Septentrionalia, in maximum Utriusque Regni,  
nec non subditorum atque incolentium detrimentum, incommodum & per-  
niciem: Placuit hinc Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino, Do-  
mino LUDOVICO Decimo Quarto, Gallia & Navarra Regi Christianissimo,  
Ejusque nomine Reginæ Matri ejus Charissimæ, Serenissimæ ac Po-  
tentissimæ Principi ac Dominæ ANNÆ, Francia & Navarra Regenti, sin-  
gulari affectu & Christiana compassione tam erga Borealia hæc Regna, quam  
erga totum jam diu perturbatum Orbem Christianum ductis, omnia possi-  
bilia & æqua querere media, quibus incensum & flagrantissimum hocce bel-  
li incendium, cum primis in Regnis hisce Septentrionalibus extingui, & Pax,  
Tranquillitas, Amicitia & fida animorum Conjunctio iterum restabilliri &  
constitui posset, quo citius ulterioribus malis iret obviam, atque ita Uni-  
versali, tantopere necessariæ & ab omnibus desideratæ Christianorum Paci  
& Concordiæ initium daret, eumque in finem anno præcedenti ad utram-  
que Majestatem Sueciæ & Daniæ, Illustrissimum & Excellentissimum Du-  
cem *Gasparum Coignetum Thuillerium*, Equitem Auratum, Cuffonii Baronem,  
Comitem Concistorianum, ac suum Legatum per Septentrionem Extraor-  
dinarium misit, iis mediis instructum, ut primo utrique Majestati statum  
Orbis Christiani repræsentaret, deinde ad reconciliationem & pacata con-  
silia hortaretur, offerretque Domini sui interpositionem cum proprio suo labo-  
re, opera & studio, atque hæc quo citius, eo melius. Quamobrem & Sua  
Regia Majestas tam autoritate Sux Regiæ Majestatis Franciæ, quam pro-  
pria cupiditate & desiderio hanc belli flammam extinguendi, & Pace & quie-  
te intra limites Regni, nec non fida amicitia bonaque intelligentia cum omni-  
bus accolentibus & vicinis, præcipue vero cum Daniæ & Norvegia, quæ per  
amplissimos limites, aliisque modis multa cum hoc Regno habent commu-  
nia, fruendi, conservandique mota; amicum Christianissimi Gallia Regis  
Consilium, ac oblatam Interpositionem acceptavit eidemque assensu est:  
Postquam & Regia Majestas Daniæ pari modo suam promptitudinem de-  
clarasset, id infecutum est, ut prævia bene memorati Legati Gallici Inter-  
positione, Conventus in limitibus ad Bromsebroe, inter utriusque Regni Com-  
missarios & Plenipotentiarios quatuor numero, ejusdem conditionis ab utra-  
que parte, ad 8. Februarii proxime elapsi diceretur ac placitaretur. Ubi

1645.  
Sept.

nos suprascripti primo statuto die & loco comparuimus, cum Suae Regiae Majestatis & Regni Daniae Senatoribus ac Plenipotentiis Commissariis, Illustribus, Generosis ac Magnificis, Domino *Corvino Ulefeld* de Ekeskous, Equite Aurato, Regni Daniae Aulae Magistro & Praefecto Insulae Mona, Domino *Christiano Thomsen* de Nyguard, Equite Aurato, Regiae Majestatis Cancellario & Praefecto Monasterii S. Canuti, Domino *Christophoro Urne* de Asmack, Equite Aurato & Praefecto Holmiae, & Domino *Georgio Seefalt* de Rörz, Judice Provinciali Seelandiae & Praefecto Monasterii Rincestadenfis, approbatisque utrinque Procuratoriis iisdem invicem commutatis & extraditis, in nomine Sacrosanctae & individuae Trinitatis congressi sumus, toto hoc tempore summo studio lites & controversias, quae inter utraque Regna agitatae fuerunt, perpendimus & examinavimus. Consideravimus omnia media, viasque eas componendi, ac bonam durabilem & fidam Pacem ac amicitiam faciendi, redintegrandique. Qua in re Extraordinarius Christianissimi Galliae Regis Legatus summum suum studium, prudentiam, dexteritatem, curam & laborem tam diu & sine tadio adhibuit & extendit, ut tandem nomine Earum Majestatum Majestatum, Clementissimorum Regum nostrorum, horum Successorum & Coronarum Sueciae & Daniae, de tollendis cunctis dissidiis & controversiis, nec non perpetua, stabili ac nunquam retractanda Pace & amicitia firmanda conveniremus, decerneremus ac concluderemus; quemadmodum hisce convenimus, decernimus & concludimus in perpetuum, ab utraque Majestate Majestate, Earum Successoribus, Consiliariis, Ministris & subditis in Suecia, Dania & Norvegia firmiter & irrevocabiliter servandis in modum & formam sequentem.

## I.

Cum transitus & navigatio per Freta Orefonticum & Balticum, ex mari Baltico in Oceanum, & vice versa, ejusdemque transitus & navigationis annexum Jus Vestigialium & Accisae, ut & aliorum onerum immunitas, ac mercium Certificationes in naves & bona, avertendis fraudibus institutae Inquisitiones, Visitationes, Impedimenta, Arresta & Processus Judicarii sint quidem principales causae praesentis hujus motus & belli; quamobrem prolixis & multifariis Colloquiis & Reconciliationis Mediis hinc inde habitis tentatisque, tandem, ita amice conventum, decretum & conclusum est, Suae Regiae Majestatis Daniae, ejus Successorum & Regni Daniae nomine, promissum & sancitum, quod sit maneatque imposterum Suae Regiae Majestatis Sueciae, Ejus Successoribus Regibus Sueciae, Eorumque Subditis & incolis Regni Sueciae, Magni Ducatus Finlandiae, Ingriae, Esthoniae & Livoniae, jus, libertas, & facultas navigandi, sive propriis sive conductis navibus, triremibus, aliisque navigiis majoribus & minoribus, armatis & non armatis, bellicis & mercatoriis, ut & transportandi suas merces & bona, cujuscunque fortis & generis sint, per Freta Orefonticum & Balticum, juxta temporis & uniuscujusque propriam voluntatem & occasionem, sine interdicto aut impedimento quocunque modo.

## II.

Et hoc quidem ita intelligendum est, ut Suae Regiae Majestati, Ejus Successoribus, dictisque subditis & inquilinis in Suecia, Finlandia, Ingria, Esthonia & Livonia, liberum licitumque sit pro voluntate & facultate transportandi per Freta Orefonticum & Balticum, omnis generis Merces & Bona, sine discrimine, exemptione aut limitatione, sive fuerint Merces ex aliis Regnis & Civitatibus empta ac acquisitae, sive domi forisve natae, factae, elaboratae, praesertim omnia genera Ammunitionum bellicarum, aut eo pertinentium; nominatenus vero Tormenta Bellica, Cuprea, Aenea, aut Ferrea,

1645.  
Sept.

1645.  
Sept.

rea, seu majora seu minora, Sclopera, Bombardæ, Arma, Gladii, Globi, Pulvis tormentarius, Funes pyrii, Sal, Nitrum, & quicquid ad Armentariam spectat, five bellicis usibus destinatum est, quocumque nomine veniat, sine omni impedimento, detentione, onere, inhibitione, aut taxatione; five exportetur ex Suecia, Finlandia, Ingria, Esthonia, Livonia, ex Pomerania, Megapoli, Lubeca, Prussicis aut Curlandicis Civitatibus, in terras Oceano adjacentes, five ex his in mare Balticum, Sueciam & prædictas subiectas Provincias, five directe in Pomeraniam, Megapolim, Lubecam, Prussicas & Curlandicas Civitates aliasve.

1645.  
Sept.

## III.

Naves omnes & Merces, cujuscunque generis ad S. R. Majestatem, subditos & incolas Sueciæ, Finlandiæ, Ingriæ, Esthoniæ & Livoniæ pertinentes, earumque Nautæ, Mercatores & alii transeuntes, seu fuerint naves omnino propriæ, seu partem in iis habuerint Sueciæ subditi, sint in Fretis Orefontico & Baltico, liberæ & immunes ab omnibus Vectigalibus, Accisis, Impositionibus, quæ nunc sunt, aut imposterum humano ingenio excogitari possunt, sub quocumque prætextu & nomine, five, dum naves commorentur in Fretis, Baltico & Orefontico, five dum prorsum retrove transeant. Si vero Naves pertineant ad Peregrinos omnimodo, ceu earum participes sint Peregrini & a Sueciæ subditis conductæ sint, solvunt Regiæ Majestati Daniæ in Fretis Orefontico & Baltico id, quod secundum Pacta & Consuetudinem jure debet, five ex tota navi, modo tota ad Peregrinos pertineat, five ex parte ejusdem proportionabiliter, salva tamen Libertate, Jure, & Immunitate Sueccicarum Navium, Personarum & Bonorum omnimodo.

## IV.

Quæ quidem Suecorum Navigationes & ab oneribus immunitas ita conventa, & a S. R. Majestate Daniæ, Suo suorumque Successorum Regum ac Regni Daniæ nomine, promissa & determinata est, ut S. Majestas Ejusque subditi in Suecia, Finlandia, Ingria, Esthonia & Livonia, sine discrimine fruantur ea Libertate, & Jure in Personas, Naves, Bona & Merces, Domi Forisve acceptas & acquisitas, eruntque posthac omnes supradictæ Sueciæ Naves, eæque quæ Suecicas Merces portant, Bona, Literæ, Scripturæ & Personæ in Fretis Orefontico & Baltico liberæ & immunes, ab omnibus Inquisitionibus, Visitationibus, Mensurationibus, Arrestis, Detentionibus, Processibus Judiciariis, Confiscationibus, aliisve molestiis, neque ullum in eas exerceatur Jus Superioritatis aut inde resultans Jurisdictio, quatenus Transitum, Commercia, Navigationem & quæ hinc dependent, concernit, multo minus aliquis vel aliquid eximatur, è navibus aut ad servitia cogatur præter Possessoris voluntatem & consensum.

## V.

Sed quoniam Certificationes, variæque super earum sufficientia a partibus conceptæ opiniones & interpretationes non minimam causam dederunt, institutis in Fretis Orefontico Inquisitionibus & subortis inde dissidiis & consequenti bello inter Regna; ideo hisce in futurum avertendis & ad meliorem distinctionem inter Suecicas liberas Naves & Merces & alias vectigalibus subiectas, faciendam, circa hunc Articulum ita distinctum, & tandem conventum & decretum est, ut transiens Fretum Orefonticum Navis Suecica Bellica, major aut minor, onusta vel non onusta, una pluresve & ad Chronoburgum veniens (neque uspiam alibi in Canali Orefontico) contra-

1645.  
Sept.

hat velum supremum mali majoris, donec arcem prætereat & Tormenta bellica explodat, in honorem arcis Chronoburgensis, & Tormentorum bellorum explosione vicissim honoretur. Et si Naves bellicæ cursum suum ita tenuerint, sine jactura anchoræ liberum ipsis sit progredi, nec ad alias rationes reddendas adigantur. Si vero ex quacunque occasione anchoras suas jecerit Navis quæpiam Bellica in Fretis Orefontico, & Gubernator Chronoburgensis ad Capitaneum navis miserit, ab eo amice quærens, unde venerit, ejusque Literas Testimoniales sibi ostendi petens, ulla præterea molestia ipsi intentata, non renuat Capitaneus monstrare Literas Passus ministro Gubernatoris, atque sic alter alterum amice & humaniter excipiat habeatque omnimodo. Alias vero complicatione signorum aut ejusmodi aliis non gravetur. Quod autem Fretum Balticum attinet, liberum esto, Navibus Suecicis bellicis præterire Nyburgum pro ratione venti & commoditatis, si vero ante Nyburgensem arcem anchoras miserit, vel prope, eodem modo agatur ibi, quemadmodum de Chronoburgo in Fretis Orefontico dictum est.

1645.  
Sept.

## VI.

Omnes præterea Suecicæ ad S. R. Majestatis subditos & incolas Sueciæ, Finlandiæ, Ingridiæ, Esthoniæ & Livoniæ pertinentes, Mercibus & Bonis Mercatorum & Inquilinorum, juxta hæc Pacta Conventa & omni onere & molestia immunium, in totum onusta Naves, generales afferent Literas Testimoniales, seu Liberi Passus a S. Reg. Majestate ejus Officialibus, in negotiis propriis & privatis, vel a Consulibus & Senatoribus Civitatum, Naves & Merces Suecicis subditis & incolis competere afferentes, in hunc modum conceptas.

Formula Literarum Salvi Passus Generalis & Mercibus Suecicis, quæ in totum Suecica est & Suecicis Mercibus onusta, quæ mutatis mutandis ad peregrinas Naves, Suecicas in totum Merces portantes accommodari potest.

*Nos Consules & Senatores Civitatis N. N. notum facimus, quod hæc Navis N. cui Nauclerus est N. N. Suecica sit, nostræque Civitatis (jure alterius Suecicæ Civitatis) & Mercibus ad solos Suecos pertinentibus onusta, atque in Oceanum destinata, quemadmodum ejus Dominus cum participantibus & consortibus (si modo plures fuerint) coram nobis & nostro Judicio testatum fecit, Literas hæc Testimoniales in rei probationem à nobis petens, quod Navis & Merces in Fretis Orefontico & Baltico ab omnibus Vectigalibus & molestiis, secundum Jura & Pacta Regnorum, immunes esse debeant, in cujus fidem hæc Sigillo Civitatis & subscriptione Scribæ muniri fecimus. Actum &c.*

Quæ Literæ Testimoniales ad Telonium Helsingoræ ab Fretum Orefonticum transeuntibus, ut Nyburgi Balticum præternavigantibus, monstratæ relinquentur in manibus Telonarii Reg. Majestatis Daniæ, & hic vicissim tenebitur extemplo & sine detentione, Acceptilationem reddere die & dato notatum, quod eadem Suecica Navis cum bonis transivit & literas suas ostendit, tali forma.

Formula Literarum Testimonialium, quas Telonii Præfectus Helsingoræ aut Nyburgi redditurus est iis, qui literas suas Testimoniales aut Certificationes tradunt.

*Anno 1645. die N. mensis N. Nauclerus N. habitans N. cum sua Navis N. Literas suas Testimoniales aut Certificationem in Navem & Merces tradidit, datas N. die,*

1645.  
Sept.

*N. die, anno N. In majorem fidem hoc testimonium ipsi redditum est, atque ita Navibus cum Mercibus & hominibus sine impeditioe, præjudicio, onere, aliave molestia solvere & abire liberum esto.*

1645.  
Sept.

## VII.

Eodem modo conductæ a Suecicis Mercatoribus & Incolis Naves, & nihil nisi Suecicas in totum Merces portantes, habeantur, quæ postquam Literas suas Testimonialias, generalibus verbis conceptas ita monstraverint & reliquerint ad Telonium Helsingoræ aut Nyburgi, & a Telonio ibidem Acceptilationem habuerint, id quod sine mora etiam fieri debet, nec non pro ipsis Navibus Peregrinis totis vel proportionaliter, salvo Suecicarum Mercium & Personarum Jure, debitum solverint, pro ratione facultatis, sine ulteriori onere, impedimento aut molestia pariter solvant, abeantque.

## VIII.

Si quoque Suecica Mercatoria Navis, ab onere vacua, cursum suum per Fretum Oresonticum aut Balticum direxerit, simili modo, quo dictum est, conditionem suam probabit Helsingoræ aut Nyburgi, generalibus Literis Testimonialibus, quod sit Suecica, Finlandica, Ingermannica, Esthonica aut Livonica, & postea eadem ratione solvat abeatque pro sua commo-  
ditate, sine ulteriore onere, molestia, detentione & impedimento.

## IX.

Si vero Navis aliqua major minorve Freta Oresonticum & Balticum pertransierit, partim Suecicis, partim peregrinis, Vectigalibus ibidem subjectis Mercibus & Bonis onusta, ea singularem afferet Certificationem earum Mercium & Bonorum, quas portat pro Suecicis Mercatoribus & Incolis Sueciæ, Finlandiæ, Ingriciæ, Esthoniæ & Livoniæ, & ita quidem hæc Certificatio firmata erit, ut in eadem notentur omnes ponderosæ Merces, quæ per se cognoscuntur liberæ & non involutæ, suo cum pondere, numero & mensura, in Talentis nauticis & Lastis, ut sunt: Cuprum, Orichalcum, Ferrum, Pix, omnis generis Frumenta, Sal, falsi Pisces, Butyrum, Sebum, Cannabis, Linum & similia. Eæ vero Merces, quæ Cistis, Segestribus, Doliis & Tonnis includi aut involvi possunt, sine specificatione Mercium unius cujusque, Suecico caractere, in Cistis, Segestribus, Doliis & Tonnis notato, & quod eadem Segestria, Cistæ, Dolia & Tonniæ cum suis inclusis Mercibus ad Suecos Mercatores & Incolas pertineant, in Certificatione, sine tamen specierum enumeratione afferentur: quemadmodum ad majorem declarationem & evitandas controversias, Formula Certificationis hic addita est.

Formula Certificationis pro Navi Suecica, partim Suecicis, partim non liberis Mercibus onusta, quæ mutatis mutandis, ad conductam peregrinam Navem accommodari potest.

*Nos Consules & Senatores Civitatis N. notum facimus, quod die & dato subscriptis, nobis judicioque nostro se stitit Civis noster N. N. (sive alterius Civitati adscriptus aut incola Suecicus) indicans, se navi N. competenti, cui Nauclerus est N. imposuisse Cupri, Ferri, Lini, Cannabis, Talenta nautica, Tritici, Siliginis, Hordei, Lastarum, etiam Tonnarum: Afferum duodenas, Malorum tot: Vini dolia, tonnas Cerevisiæ duodenas, Segestra, Cistas, Dolia, Tonnas, omnis generis Mercibus (addatur numerus) repletas & signo N. notatas, quæ ad ipsum vel eum Civem aut Incolam N. pertinent, petens hanc nostram Certificationem in probatio-*

Et II 3

nem

1645.  
Sept.

*nem rei, quod Navis tota, vel minus, & dictæ Merces, in Fretis Orefontico & Baltico ab omnibus Vectigalibus & molestiis, secundum Jura & Pacta Regnorum immunes esse debent, in cujus fidem hanc sigillo Civitatis & Scribæ subscriptione muniti fecit. Actum N. N.*

1645.  
Sept.

Et postquam ejusmodi Certificatio, Mercibus accommodata ad Telonium Helsingoræ aut Nyburgi monstrata & tradita est, tunc taliter certificatæ Merces Sueciæ ab omni ulteriori Visitatione, Inquisitione, Arresto, Detentione, Judicario Processu, aut Confiscatione liberæ & immanes sint; Si vero contigerit, rationes subesse inquirendi in Merces Vectigalibus subjectas, & dolus major fuerint, quam ut Naves & Navigatio Cautione salvari possint, tunc exonerentur & examinentur statim Merces Vectigalibus gravatæ & suspectæ, Helsingoræ aut Nyburgi, & hoc quidem ad summum intra octiduum, adeo ut longissime intra octo dierum spatium liberum sit Navi Sueciæ, seu conductæ cum Suecicis Mercibus, abeundi; neque diutius detineantur Sueci, multo minus Suecorum, Finnorum, Ingermannorum, Esthonorum & Livonum Subditorum & Incolarum Naves & Navigia, Bona & Merces aliqua actione aut molestia propter ejusmodi defectus erroresque graventur.

## X.

Si Navis quædam Suecica, Finlandica, Ingermannica, Esthonica aut Livonica conductæ, & peregrinis Vectigalibus subjectis Mercibus onerata fuerit, fruetur nihilominus omni in Navim & Personas Libertate, Jure & Immunitate, quæ Suecis Jure & vigore horum Pactorum debentur, & reddet peregrinus Mercator, non violata Immunitate Suecica, suarum Mercium in Fretis Orefontico aut Baltico rationem.

## XI.

Ne vero dictis Suecicorum Subditorum Navibus, contra institutum, in itinere aliqua remora, seu detrimentum injiciatur, a parte Daniæ promissum est, talem Helsingoræ aut Nyburgi dispositionem futuram, quod Telonarius aliusve huic negotio Præfectus, singulis diebus, certisque ante & post meridiem horis, in loco Telonii ordinario se sistet, ibique Literas Testimoniales & Certificationem accipiat, reddetque Nauclero in forma præscripta, ut ita Sueciæ & Naves & Merces, sine impedimento & molestia, cursum suum teneat, transeatque libere omni modo.

## XII.

Si posthac contigerit, prædictæ S. R. Majestatis Naves Bellicas vel Ejus subditorum proprias aut conductas Naves, tempestatibus aut aliis incommodis adactas, petere Portum & securitatem in Norvegia vel aliis Daniæ Portibus, liberum id illis sit, sine Vectigalibus, Inquisitione aut onere quocunque modo. Tantum ut Sueciæ Naves eam, pro anchoris & cæteris ejusmodi, pecuniam, quem alii amici & peregrini in locis, quibus imposita est, aut fuerit, dant. De cætero autem imperturbatæ & a Vectigalibus, Oneribus & Inquisitionibus in Merces, immunes maneant, & fruantur Libertate & Jure coëmendi res necessarias, pro justa satisfactione; Idem juris sit Danicis Navibus aut Mercatoribus in Sueciæ ejusdemque subjectarum Provinciarum Portibus, ubi vel tempestate vel alia causa ad sui reparationem in eos dejecta fuerint.

## XIII.

Cum vero venerit, ut vel S. R. Majestas vel Ejus Successores Reges Sueciæ, aut in suorum amicorum terris ad Oceanum, Milites Equites Pedes-

tesve



1645.  
Sept.

tesve colligerent, iisdemque in mari Baltico indigerent, aut Milites e Westrogothia in Mare Balticum transire vellent & viceversa, tum conventum & decretum est, ut S. R. Majestati Ejusque Successoribus id liberum sit, nec alia in parte impediatur, ira tamen, ut simul & semel 1200. Milites aut minus transportentur, & S. R. Majestatis Daniae suisque Successoribus tres ad minimum septimanas, priusquam adveniant, significetur, ut & omnis suspicio praecipuetur & transitus liber maneat & imperturbetur. Si vero aliqui Officiales aut alii Suecici suis cum equis aut sarcinis, Freta Oresonticum & Balticum transierint, Navi aut alio genere Navigii, id ipsis liberum sit sine omni praevia significatione.

1645.  
Sept.

## XIV.

Ne etiam imposterum aliquid dissidii inter Regna suboriatur, vel cum alterutrius Regni Classis alteri obviam venerit, vel bellicae Navi Navis bellicae; & naves Sueciae ex occasione Fretum Oresonticum aut Balticum fuerint ingressae, ibidemque S. R. Majestati Daniae Naves aut Classem invenerint, vel hic in ea loca & Portus pervenerint, ubi Sueciae Naves commorantur. Itaque, hunc in modum conventum est, ut quando unius Regni Classis alteri in mari Baltico aut Oceano occurrerit, aut in Portum intraverit, altera alteram amice excipiat, & usitata Tormentorum explosione saluter honoretque, ulterius vero nihil tentabit neque actum aliquem Justificationis exercere tenetur, licet una alterave pars in Maris dominium aut Portum praetendat. Si vero una duae Naves occurrerint Classi, velum superius, una cum Tormentorum explosione, contrahent, donec Classem praeteregressae fuerint vel Classis in portu anchoras jecerit: De caetero ad Signorum complicationem non adigatur; Sin autem plures, quam duae Naves simul ierint, facerentque Classem, utraque pars contenta sit Tormentorum explosione & neutra ad superioris veli contractionem, multominus ad alia, obstricta sit.

## XV.

Per Oresonticum & Balticum Fretum, uni, duabus, quattuor aut ad summum quinque Suecicis bellicis Navibus simul transire liberum sit, absque ulla praevia aut praemissa ad S. R. Majestatis Daniae, Ejusque Successores significatione. Ubi vero in Fretum Oresonticum pervenerint, duobus Tormentis, Suecorum more, ut antea dictum est, explosis, supremum velum majoris mali, ante Castrum Chroneburgense dimittant, donec transferint. Quod si S. R. Majestatis Daniae Naves aut Classem illic ante se repererint, binorum Tormentorum explosione utriusque satisfactum sit: Nec ad quicquam ulterius praestandum obligatur, tantum abest, ut alia quaequam justificatio aut Signorum complicatio ab ipsis postulari possit. Sed si S. R. Majestas Sueciae aut Ejus Successores pluribus Bellicis Navibus, uno eodemque tempore, Fretum Oresonticum & Balticum transire necesse habuerint, conventum est, ut S. R. Majestas Daniae de eo trium septimanarum intervallo ante certior reddatur, ne Classis adventus suspiciones aut diffidentiam excitet: Ubi vero adventus ejus hac ratione denunciatus fuerit, absque ulla contradictione aut Danorum, & damno illato a Suecorum parte, executioni mandetur.

## XVI.

Quod Vectigale apud Insulam Rugden concernit, uti S. R. Majestas Daniae per aliquod annos triremem suam habuit & Vectigal exegit, illo S. R. Majestas Daniae hisce cessit, eique omnino renunciavit, nunquam deinceps se illo usuram, aut quicquam juris eo nomine imposterum ullatenus sibi arrogaturam pollicita.

## XVII.

1645.  
Sept.

## XVII.

De illo Vectigali, quod S. R. Majestas Daniæ jam aliquot annorum spatium ad Gluckstadium ab ipsis Navibus & Mercibus, quæ Hamburgum intendunt, sibi pendi jussit, eatenus quoque convenit. Quoniam Regis Majestas Daniæ nunc in eo est, ut cum Hamburgensibus de controversia, quæ inter eos hæcenus extitit, sopienda & Vectigali hoc abrogando tractet: In genere igitur hic conclusum est, ut si inter se convenerint & Vectigal sublatum fuerit, R. quoque Majestatis in Suecia Subditi, qui Albim Commerciorum causa frequentant, eodem fruantur. Quod si vero præter spem diffidium cum Hamburgensibus de Vectigalibus, ulterius continuari contingat, aut si alicui Vectigalium solutioni assenserint; eo casu Commissarii Danici nomine R. Majestatis Daniæ, Ducis Holsatiæ, repromiserunt, ac in se receperunt omnes Sæ R. Majestatis Subditos & incolas Sueciæ, Finlandiæ, Ingridiæ, Esthoniæ, ac Livoniæ, qui in Albi negotiantur, liberos fore, nec interpellandos ab ullis R. Majestatis Daniæ & Ducis Holsatiæ Ministris & Excubitoribus sive in Arcibus sive in Navibus aut Pontonibus commorentur; verum immunes a Vectigali & omni alia molestia: nec ad Literas Testimoniales, multominus ad Certificationes ostendendas vel alias rationes reddendas, teneri debere.

## XVIII.

Et quoniam præteritorum temporum lapsu & experientia compertum est, quod Libertas & jus illud Suecis in Dania & Norvegia & Danis Norvegiisque in Suecia, mutua Commerciorum exercenda, & libertate Vectigalium partim ex veteri Consuetudine, partim Transactionibus & Pactis inter Regna conventis fruendi, continuas excitavit lites & controversias, imo odium & invidiam inter Regna, & non raro unius Regni Dominum subditosque adversus alterius Magistratum & incolas irritaverit, adeo ut Regno amicitia ex hac præcipue causa primum passa sit naufragium: & vix aliquis Conventus inter Regnorum Commissarios celebratus reperiri poterit, in quo hoc Gravamen non fuit agitatum, præterquam quod ejusmodi Libertas hoc præsentis ævi decursu, quam antea observari possit. Quapropter ab utraque Parte ex usu visum, pactum & decretum est, ut omnis Vectigalium & onerum Immunitas cesset & tollatur, pro Danis & Norvegis in Suecia, & pro Suecis in Dania & Norvegia, Salvo tamen & inviolato Transitu ac Vectigalium Libertate, Suecis in Fretis Oresontico & Baltico, ut dictum est, similiter omnis Mercatorum Suecorum cum suis Mercibus trans limites in Daniam & Norvegiam; & Danicorum & Norvegorum Mercatorum suis cum Mercibus trans limites in Sueciam sit inhibitus, tam ruri quam in Civitatibus Provincialibus non maritimis. Volenti autem posthac cuipiam Sueco Mercatori, Commerciorum exercere in Dania & Norvegia, jus fasque sit idem facere in Civitatibus Stapulæ Maritimis eo deputatis, uti aliis peregrinis & amicis venire licitum, & frui eadem Libertate & Jure, quibus alii peregrini & amici secundum Leges & Statuta Daniæ, salvis Civitatum Privilegiis, fruuntur. Volenti etiam Danico cuipiam aut Norvegico Mercatori, abhinc instituere Mercaturam in Suecia aut eis subiectis Provinciis, jus fasque sit id facere, in Civitatibus Stapulæ Maritimis eo deputatis, uti aliis peregrinis & amicis venire permissum, eademque uti libertate & jure, quibus alii peregrini & amici secundum Leges & Statuta Sueciæ, salvis tamen Privilegiis Civitatum, utuntur, ut & Sua Regia Majestas Sueciæ & Majestas Daniæ imperturbata & una ab altera non gravata, in Regno suo cum suis ita disponat & ordinet, prout unius cujusque occasio & conditio tulerit.

## XIX.

1645.  
Sept.

1645.  
Sept.

XIX.  
Fluvii cursus inter Westrogothiam & territorium Danziense, & Navis ut & Navigatio Commerciaque in fluvio, eodem modo, jure ac libertate maneant quemadmodum ab antiquo. Habeat fluvius suum cursum liberum minime turbatum & impeditum, ad utraque ostia Goterburgum & Kongellam versus, & quicquid extructum, aut in fluvio uni alterive præjudicio demersum est, inde tollatur & absque impeditioe vel oppositione purgetur; Imprimis quod ad Bahusium extruendo alveo injectum est, ut iterum extrahatur & fluvio suus cursus usitatus restituatur, repareturque ab eo, qui impedimentum fecerit: neque Sueci a Danis aut Norvegis, neque hi ab illis aliquo modo impediuntur, sed potius secundum æquitatem promoveantur: Navigatio, item ascensus descensusque in flumine versus Gothoburgum, liber ab omni impeditioe, onere, vel gravamine, omnino sicut ab antiquo sit.

1645.  
Sept.

XX.  
Conventum item decretumque est, ut Sua Regia Majestas Sueciæ imposterum ut hætenus, habeat suum Postarum Præfectum Helsingoræ, ut & Veredarios inter Sueciam & Hamburgum absque impedimento vel præjudicio currentes, qui Sux Regiæ Majestatis ejusque subditorum, ut & aliorum literas huc in Regnum aut inde missas apportent vel afferant, idque absque obstaculo, remora aut inquisitione. Idem liberum sit Regiæ Majestati Daniæ, habere Ministrum suum Holmiæ, qui sua suorumque subditorum negotia agat & expediat.

XXI.  
Quæ bona, vel Nobilitas Suecica in Dania & Norvegia, vel Danica ac Norvegica in Suecia ante hoc bellum habuit, & nunc ab una alteraque parte Fisco addicta sunt, vero proprietario restituantur, & hic ea secundum cujusque Regni Leges & Statuta & Pacta priora possideant & fruantur, absque impedimento vel diminutione, ullo modo.

XXII.  
Et quoniam bellum aliquibus ab una vel altera parte Confiscationibus causam dedit, aut subditis durante bello damna intulit: quare omnia ejusmodi amicabili hac Pace utrinque sublata & sopita sint. Et quicquid ab una alterave parte Fisco additum est & executioni mandatum, vel alias quid detrimenti cepit, id maneat, prout est, & à neutra parte vel ejus subditis porro aliqua ratione solvatur, nec in eos, qui debita contraxerant & legitime solverant, ideo à suis Creditoribus posthac, in vel extra Regnum, aliqua actio sive molestia instituat.

XXIII.  
Si vero aliquid inveniri poterit, quod nondum executioni datum est, sive Fisco additum fuerit, nec ne, quemadmodum & omnia debita, quæ unius Regni incolæ & subditi à Coronis ipsis, Suecica à Regia Majestate Daniæ, & Dani Norvegique à Regia Sua Majestate Sueciæ ante bellum exigenda habuerint & rationibus probaverint, sine mora ab utraque parte solvantur.

XXIV.  
Si quoque durante bello, ab una alterave parte aliqua sive in Suecia sive in Dania Sententia lata fuerit, in cujuspiam vel Sueci in Dania, vel Dani &

M m m

Nor-

1645.  
Sept.

Norvegi in Suecia, præjudicium &amp; pro non lata habeatur, &amp; unicuique jus suum iterum repetendi probandique liberum sit.

1645.  
Sept.

## XXV.

Quemadmodum Sua Regia Majestas CHRISTINA, Regina Sueciae, durante bello armis Regiae Majestatis Daniae Munimenta, Provincias, Agros & Civitates in Juthia, Hallandia, Blekingia, Bornholmia, Holfatia, Stormaria & Ditmarsia, cum primis autem & nominetenus Christianoprisum, Laholmiam, Engelsholmiam, Selsburgum, Hammershusum, seu quocunque alio nomine veniant, aut indigentur, occuparit, eademque Jure Belli jam possidet: Itaque nomine Suae Regiae Majestatis Franciae Extraordinarius ejus Legatus assidue institit, suasit & hortatus est, ut Sua Regia Majestas, Domina nostra Clementissima, Regiae Majestati Daniae dictas modo Provincias, Munimenta, Civitates & Agros restituere ac cedere, vellet. Cui quidem diligenti & assiduae suasioni & hortatui Suae Regiae Majestatis locum dedit, considerans & libenter præveniens multifariis illis malis, quæ belli continuatio secum trahit, & insuper perpendens, quam summe necessarium sit, amica hac Regnorum Septentrionalium reconciliatione initium bonum facere, jam diu perturbati Orbis Christiani Pacificationi ac quieti: nolens sollicitas curas & desideria, quibus utraque Majestas, Rex & Regina Mater, Vidua Franciae regens, inter hæc Regna ortarum litium & bellorum flagra in vanum casura: præsertim cum Regia Majestas Daniae monita ab Illustrissimo Christianissimi Galliae Regis Legato, suo suorumque Successorum Daniae & Norvegiae Regum ac Coronarum nomine assensit pollicita est, in Suae Regiae Majestatis Ejus successorum Sueciae Regum & Regni compensationem & satisfactionem, pro restituendis Provinciis, Munimentis, Civitatibus & Agris, sese cessuram, Jemptiam cum Heredalia inclusive, quatenus dicta Heredalia in juga montium sita est; Gothlandiam cum urbe & arce Wisbegeni & eo spectantibus Insulis, nec non Oesoliam cum Arensburgo suisque subjectis Insulis ac reliquis accessoriis, ut & omni, quæ eo spectat, Superioritate, Regalibus, Jurisdictione Ecclesiastica & Politica, Tributis, Proventibus, Vectigalibus, Reditibus & Juribus, terra, marique, quemadmodum Daniae & Norvegiae Reges, & imprimis qui nunc rerum potitur, CHRISTIANUS Quartus, eas hætenus possederunt & obtinuerunt, ut sint maneatque impotterum Suae Regiae Majestatis ejus successorum & Regni Sueciae propria, jure perpetuo sine controversia possidendæ: prout speciales & in hanc conceptæ Literæ Cessionis à Regia Majestate & Senatoribus Daniae subscriptæ & obsignatæ porro demonstrant. Ad hæc Regia Majestas suo suorumque Successorum & Regni Daniae nomine, loco Hypothecæ & cautionis & in majorem observantiam conventorum Pactorum, de Regiae Majestatis Ejus successorum & subditorum in Suecia, Finlandia, Esthonia & Livonia Commercio-rum & Navigationis libertate per Freta Oresonticum & Balticum, promissit, se annos sequentes triginta cessuram S. R. Majestati, ejus Successoribus & regno Sueciae, totam Hallandiam cum suis Munimentis Laholmia, Halmstadio, Varberga, nec non Urbibus & Oppidulis in & sub illius Territorio jacentibus, Laholmia, Halmstadio, Falckenberga, Varberga, Kongsbacca, una cum Agro & Territoriis eidem subjectis, secundum antiquos legitimos terminos, limites, finesve, hac conditione, ut S. R. Majestas Ejus Successores & Corona Sueciae dictam Provinciam Hallandiam cum Fortalitiis, Urbibus & Præfecturis omnibusque Juribus, Reditibus, Proventibus ordinariis & extraordinariis, Superioritate, Regalibus, Jurisdictione tam Ecclesiastica quam Politica, & quicquid in Bonis, Portubus, Mari & Fluminibus ad eam pertinet, Agro item omni & Subditis, nulla re excepta, quæcunque tandem illa sit, aut nomine veniat, possideant, iisque utantur, fruantur in eum plane modum, quo Reges Daniae & in specie Regia, quæ in præ-

1645.  
Sept.

præsentiarum regnat, Majestas, CHRISTIANUS Quartus, eas possidebat, utebatur, fruebatur, & ut omnes incolæ tam Ruri quam in Urbibus, Ecclesiastici & Politici, Nobiles & Plebeji, qui ibi habitaverint, R. Majestati, ejusque Successoribus Sueciæ Regibus ac Coronæ tantummodo juramento obstringantur ad fidem, obedientiam & servitia debita præstanda, triginta horum annorum curriculo, donec justo ordine servato, secundum Transactionis hujus tenorem, iterum fuerit restituta, prout Hypothecariæ & Cautionis literæ a R. Majestate Daniæ & toto Senatu subscriptæ & consignatæ latius deducunt & explicant. Quemadmodum etiam hæc Hypotheca & Cautione id cumprimis conventum decretumque est, ut, ubi elapsis his triginta annis, dicta Provincia Hallandia restituenda veniet, priusquam illa iterum tradatur, S. R. Majestati, Ejus Successoribus & Coronæ Sueciæ, aut eadem aut alia a Daniæ Regibus, Ejus Successoribus & Corona præstetur Cautio æque bona, & qua S. R. Majestas Sueciæ & Ejus Successores deprehenderint se tutos satis & contentos.

1645.  
Sept.

## XXVI.

Vicissim S. R. Majestatis Reginae nostræ Clementissimæ Mandato, nos ad superius enumeratas causas, hujus Conventionis vigore, omnibus R. Majestatis juribus cessimus, quæ S. R. Majestas Jure Belli nacta est, in Fortalitia, Munitiones, Provincias, Urbes & Territoria, hoc bello, mediante divini Numinis auxilio, vi armorum occupata, nec hic per expressum excepta; Eadem tradidimus ac concessimus R. Majestati & Regno Daniæ in hunc modum. Quod etiam Juthia & Ducatus Slesvicensis, Holfatiæ, Stormariæ, & Dithmarsia, quantum in manibus S. R. Majestatis est, præcipue vero Munimentum Christianoprisium & Pinneberga cum Fortalitio ad Nyfstadium & plura in prædictis Ducatibus capta & incepta Munimenta, Regiæ aut Nobiles Domus, item Helsingeburgum & Landserona, Selsburgum cum bona parte Munitarum Nobilium Ædium in Schania & Blekingia nec non Bornholmia, eique adsitum Hammerhusium cum omnibus iis Civitatibus, Districtibus, Prædiis, quæ in Juthia, Ducatibus Slesvicensi & Holfatia, Stormaria & Dithmarsia, Schania & Bornholmia jacent, aut ad dicta Munimenta spectant: ea omnia postquam secundum tenorem Transactionis hujus restituta sunt; sola tamen Munimenta cum Territoriis & nihil præterea.

## XXVII.

Promissimus etiam nomine S. R. Majestatis & Regni Sueciæ, vigore horum Factorum, Reg. Majestati, Ejus Successoribus & Regno Daniæ, quod durante illo tempore, quo Hallandia pro cautione sub S. R. Majestatis Ejus Successoribus & Regno Sueciæ manet. S. R. Majestas omnes Hallandiam incolentes, Nobiles & Plebejos, Ecclesiasticos & Politicos, Cives & Rusticos, patiatur gaudere, regi & defendi, præcis suis Privilegiis, Immunitate & Danicis Legibus, Juribus, & Ordonantia Ecclesiastica impurtabata, & finat unumquemque rei propriæ dominum esse, eandemque non minus posterum atque hætenus possidere, retinere vel vendere, item migrare aut permanere, prout unicuique liber & expedit. Præcipue autem Nobilitati concessum est, quæ bona in Hallandia aut alibi in Dania habuerit, & maluerit in Dania commorari, quod nihilominus fruatur bonis suis in Hallandia, imperturbata eadem adeat, inviset & disponat pro arbitrio & jure. Ita tamen ut S. Reg. Majestati & Regno Sueciæ id juris, obedientiæ & servitii inde præstetur, quod Regibus & Regno Daniæ hætenus debuerunt. Postea, ut Nobiles, qui vel nulla, præterquam in Hallandia bona possident, vel continuo in præfidiis suis Hallandicis vivere cupiunt, teneantur præstare S. R. Majestati, Ejus Successoribus & Regno Sueciæ Homagium, seque

M m m m 2

ad

1645.  
Sept.

ad obsequia, fidem, & servitia obligent, quemadmodum Daniæ Regibus antehac obstricti fuerunt. Cæteri Hallandiæ Incolæ, Sacerdotes, Cives & Rustici S. R. Majestati, ejus Successoribus & Regno Sueciæ, annos hos triginta, ut antea dictum est, & donec restitutio legitime facta fuerit, obligati maneant, omnesque Præpositi & Pastores eum sequantur Episcopum vel Superintendentem & Consistorium, cui S. R. Majestas illos assignaverit. Præterea S. R. Majestatis, ejus Successorum & Regni Sueciæ nomine promissum est, ut munita loca toto hoc tempore, quantum fieri potest, conserventur & annis his triginta exactis, cumque Reg. Majestas Daniæ, ejus Successores & Regnum Daniæ S. R. Majestati, ejus Successoribus & Regno Sueciæ satisfecerint & æque bonam & sufficientem cautionem præstiterint, tum hæc Provincia Hallandia cum suis Oppidis, Munimentis, Prædiis, aliisque eo spectantibus, R. Majestati Daniæ, Eiusdemque successoribus juste restituenda & tradenda veniat, prout R. S. Majestatis Acceptilatio id latius declarat.

1645.  
Sept.

## XXVIII.

Et ut eo exactius omnia ab utraque Parte procedant, nullæque controversiæ de commutatione, restitutione & immessione repullulent cum Danicis Commissariis, ita hac de re convenimus, ut commutatis & traditis utrinque Ratificationibus, Halmstadium & Varberga 16. die Septembris tradantur in manus S. R. Majestatis Sueciæ Plenipotentium. Et Landscrona & Helsingeburgum vicissim Plenipotentiaris R. Majestatis Daniæ restituantur, & postea statim ex omnibus cæteris infestis Domibus, Locis & Munimentis in Schania & Blekingia, ut & e singulis reservatis Territoriis Danicis trans limites in Sueciam & Hallandiam Exercitus Suecicus deducatur, & hoc quidem in minimo, quo fieri potest gravamine, adeo ut dicta munita loca in Schania & Blekingia R. Majestatis Daniæ Plenipotentiaris & Nobilitati restituta sint, omnisque Exercitus Suecicus deductus trans limites intra 23. diem Septembris, hoc tamen reservato, quod si aliqui ægroti aut mutilati, aliive Exercitum sequi non possent, aut si privatorum servi, propter res aliquas, quæ tam cito exportari nequeunt, relicti fuerint, ut pro justa satisfactione valetudo eorum curetur, & cæteri maneant, donec relicta exportentur. Quamprimum Halmstadium & Varberga in manus S. R. Majestatis Sueciæ Plenipotentium tradita fuerint, extemplo S. R. Majestatis Campi Marechallus in Schania certo nuncio & literis id Tribuno Exercitus in Juthia, Holfatia & Scania Duci significet, mandetque omnes educere S. R. Majestatis Milites, qui in Juthia, Schlesvici, Holfatiæ, Stormariæ & Pinnenbergæ campis fuerint, ita, ut munita loca & Fortalitia in diem infra scriptum & Cessione determinatum conserventur. Die 31. mensis Octobris R. Majestatis Daniæ Præfecti Jemptia & Heredalia ab hac Suecica parte in juga montium sita cedant, easdemque Provincias cum Fortalitiis ibidem extructis tradant R. Majestatis Sueciæ Plenipotentiaris, Oeselia item Aronisburgum & Gotlandia cum Urbe & arce Redisbiensi (solis tamen munimentis) ut & aliis subjectis Insulis, Fortalitiis, in Hominibus, Agris & Feudis, S. R. Majestatis Plenipotentiaris tradantur; Præterea & hoc conventum decretumque est, quandoquidem Gothlandia & Oeselia Insulæ sunt, & in Mari sitæ, adeo ut propter ventos & tempestates de die & hora quis securus esse nequeat; quamobrem a parte Daniæ promissum est, si S. R. Majestatis Sueciæ Plenipotentiaris & Milites, una cum duabus & tribus septimanis ante diem determinatum appulerint, ut meliori modo excipiantur, donec certus & commutationi dictus dies advenerit. Et munimenta Wisby & Aronisburgum una cum Insulis, secundum Pacificationis hujus tenorem, tradita fuerint; aut si ventis aut tempestatibus impediti aliquibus diebus post appulerint, non obstat, præjudicetque extraditioni & cessione

1645.  
Sept.

cessioni Munimentorum, Locorum & Insularum Gothlandiæ, Oeseliæque. Atque ita cessio non minus executioni mandetur, ac si dies exacte & legitime observatus esset. Vice versa promissum decretumque, quod eadem die 31. Octobris R. Majestatis Daniæ Plenipotentiaro tradatur Boringsholmia & Hammershusia cum subiectis Agris & Civitatibus, ut & Christianoprisium & Pinnenberga, omneque Præsidium e fortalio Neystadenfi levetur. Et si quid præterea in Ducatu Schlesvicensi, Holfatiæ, Stormariæ aut Dithmarsiæ captum, occupatumve fuerit, in totum relinquatur, pristinoque Domino relinquatur, Præsidii bono ordine, & minimo, quo fieri potest, Provinciarum onereeductis. Quandoquidem etsi R. Majestatis Daniæ Plenipotentiarus & milites ante vel post dictum cessionis diem appulerint ad Bornholmiam, pari modo, si prius advenerint, in Insula ad tempus determinatum accommodentur. Et serior adventus restitutioni Insulæ & Castellis non præjudicium sit, ut de Gothlandia & Oeselia superius dictum est, & post eum diem Jemphia cum Heredalia, Gothlandia & Oeselia cum omnibus suis Domibus, Castellis, Territoriis & Juribus S. R. Majestatem, Ejus Successores & Regnum Sueciæ jure perpetuo sequantur, Hallandia vero cum munimentis, Laholmia, Halmstadia & Varberga, eorumque Territoriis in Civitatibus & Populis, Subditis & Jurisdictione S. R. Majestatem, Ejus Successores & Regnum Sueciæ sub Hypotheca & Cautione dictis conditionibus ad annos triginta sequuntur, vicissim omnia cætera munita Loca, Territoria & Civitates, in Juthia, Holfatia, Schania, Boringsholmia, & si quid in Norvegia occupatum fuerit, R. Majestatem Daniæ, Ejus Successores & Coronam sine impedimento & contradictione omnimodo sequatur, & si vel S. R. Majestas Sueciæ, ejusque Præfecti ex restitutis locis, vel Majestas Daniæ, ejusve Præfecti ex traditis Munimentis in Hallandia, Gothlandia, & Oeselia (quandoquidem nihil, nisi sola Munimenta tradi debeat) tam cito omnia Tormenta bellica, Armamenta, res Mobiles & cætera exportare nequirent, una Pars ab altera non impediatur postea auferre, quicquid relictum est, sed potius omni modo, in quantum fieri potest & oportet, juvetur & promoveatur.

1645.  
Sept.

## XXIX.

Conventum adhæc est, ut, cum Provincia & Fortalitia S. Majestatis Sueciæ Plenipotentiaris ceduntur, unâ Documenta, quæ ad manus sunt, super Bonorum conditiones, Reditus, ac Proventus, ut & de limitibus & pagorum divisionibus, Justitiam concernentibus, Scripta & Informationes simul reddantur, & postmodum, ut quanto ocyus certi ab utraque Parte deputentur, qui inspectum & definitum eant omnes Limites & Controversias, inter traditas & reservatas Provincias, ut cunctæ lites & discordiæ eo aptius præveniantur, & quisque, quod suum est, Jure teneat & fruatur.

## XXX.

Quæ Naves, Tormenta Bellica, Armamenta & similia durante hoc bello capta sunt, sive in Monumentis, Campo, Mari vel alio modo, ea domino occupanti cedant, nec unquam posthac repetantur.

## XXXI.

Omnes Captivi, quocunque statu & loco fuerint, liberi sine lytro dimittantur, neque ad victus solutionem adigantur.

M m m m 3

XXXII.

1645.  
Sept.

## XXXII.

Paſta Stetinensia 1570. & Siorodenzia, Anno 1613. inter inclyta hæcce Regna conventa, in ſuo eſſe & vigore inviolata maneant, omnino ad eum modum, quemadmodum ante ortum hoc bellum fuerunt, adeo ut nihil hac Pacificatione ipsis decedat, aut derogetur, exceptis iis Articulis, de quibus ſpeciatim in hac conventum eſt decretumque.

## XXXIII.

Omnibus S. R. Majestatis Sueciæ Miniſtris & Subditis liberum fit, minimeque impeditum, tranſire per Daniam & Norvegiam, ejusque ſubjectas Provincias, Terra Marique; pari modo R. Majestatis Daniæ Miniſtris & Subditis, liberum fit Terra Marique pertranſire Sueciam, ejusque ſubjectas Provincias.

## XXXIV.

Et quoniam Pomeraniæ Civitates & Wismaria in Meckelburgo, propter Præſidia Suecica, aliis Nationibus onere Vectigalium in Freto Orefonico & Baltico, & poſtea bello hoc Septentrionalium Regnorum implicatæ ſunt: Ideo cauſa & intereſſe earum una pertractatum ac determinatum, & a Commiſſariis Danicis nomine R. Majestatis, Ejus Succellorum & Regni Daniæ promiſſum eſt, ut omnes Cives & Incolæ Civitatum Pomeraniæ nec non Wismaria Megapolitana, fruantur impoſterum plenarie in Navigatione & Commerciis, Paſtis Ottoniæ 25. Julii Anno 1560. initis, atque ita omnes Pomeraniæ Civitates ac Wismaria Megapoleos, ſint maneantque hac Pacificatione Regnorum incluſæ ac comprehenſæ.

## XXXV.

Quandoquidem cum omnes Lites & Controverſiæ, quæ Suis Regiis Majestatibus, Dominis noſtris Clementiſſimis, & Regnis Sueciæ & Daniæ cauſam dederunt Bello jam ſuperato & bene finito, ita ut deſcripſum eſt, amice diremptæ & compoſitæ ſint: Ideoque hiſce conventum, decretum & concluſum eſt, ut omnes Diſſenſiones, Invidiæ, Odia, Diſſidia, Inimicitia, actus Hoſtiles & Bella, quæ hætenus inter Majestates Suas & Regna, nec non Miniſtros, Subditos, Amicos & Adhærentes fuerunt, omniaque Damna, Incommoditates & Detrimenta, quæ vel ab una vel altere Parte illata vel accepta ſunt, ceſſent, & perpetua oblivione ſepulta, nunquam de cætero in memoriam aut controverſiam revocentur aut repetantur. Et viciffim eorumque loco tuta, durabilis, & irrevocabilis Pax, Amicitia, & fida Vicinitas ſancita, erecta & confirmata ſit, ita ut alter Dominorum alteri omni amicitia genere devinctus maneat, utilitates & commoda verbis & factis, ac ſi propria eſſent, quærat, promoveat, ac quicquid alter utrius perſonæ Regimini, Regno, Provinciis & ſubditis nocere & obreſſe queat, id ipſum caveat, & quantum fieri poteſt ac oportet, impediatur.

## XXXVI.

Arces, omnes Domus, Villæ, aliave Prædia, ſive ipſa R. Majestati Daniæ, ſive Ejus Subditis, Officialibus, aut Miniſtris competentia, & in Dania, Holſatia, Schlefvico, Megapoli, Rugia & Diœceſi Bremeniſi aut alibi ſita, Belloque hoc occupata, capta & donata ſunt, vero ſuo Poſſeſſori ſine omni ulteriori prætenſione & gravamine reſtituantur.

XXXVII.



1645.  
Sept.

## XXXVII.

1645.  
Sept.

Pax hæc inter Suas Majestates Sueciæ Daniæque, ut & inter utraque hæc inclyta Regna Septentrionalia Sueciæ ac Daniæ, jam benefacta & conclusa, Regiis Literis & Diplomatum intra diem ---- utriusque Partis Subditis denunciatur, præsertim vero in limitibus, ut omnibus imposterum hostilitatis actibus abstineant, & mutuo Amicitia & Vicinitatis affectu se invicem complectantur, scribetur etiam subito a nobis utriusque Regni Commissariis ad Suarum Majestatum Exercituum Duces & Generales, nec non ad Admirales & Exercitus, ut statim cessare faciant omnes hostiles actus, & si post hunc diem & antequam Pax nota fuerit, una Pars alteri Arcem, Fortalitia, Urbem, Navem, Tormenta Bellica, Provincias, aliaque armis possit eripere, illico, quamprimum Pax denunciata fuerit, absque refusalione restituatur.

## XXXVIII.

Siquidem Illustrissimus Dux FRIDERICUS, Archiepiscopus Bremensis, huic quoque Bello involutus est, & tandem tam Archiepiscopatus Bremensis, quam Episcopatus Verdensis armis S. R. Majestatis Sueciæ occupati sint, & præsens tempus non permittit, ut de Suæ Celsitudinis restitutione hic tractari & concludi possit: Quamobrem Illustris S. R. Majestatis Franciæ Legati prudentissimis consiliis & diligenti opera, Pacis sine ulteriori mora faciendæ, & funesti hujus Belli propter hanc causam diutius non continuandi gratia consultum, visum & conventum est, ut negotium hoc Archiepiscopatum Bremensem & Episcopatum Verdensem concernens, penes Ipsam S. R. Majestatem Sueciæ tractari & concludi deberet. Præterea & hoc conclusum decretumque est, ut Sua Celsitudo, Archiepiscopus, cum omnibus suis Officialibus & Ministris hac Pacificatione includatur. Ejus Officialibus & Ministris Bona sua restituantur, iisdem urantur, fruatur, omnes Captivi sine lytro dimittantur, & de memoratorum Archi- & Episcoporum restitutione, apud S. R. Majestatem Sueciæ, ut dictum est, ulterius tractetur, quemadmodum & hoc penes S. R. Majestatem Dominam nostram Clementissimam, commendaturos & promoturos nos spondimus & promissimus.

## XXXIX.

Quæcunque in Ducatu Schlesvicensi, Holsatiæ, Celsissimi Ducis FRIDERICI, Gottorpii residentis, Territoria, Prædia, Arces, Fortalitia, Civitates & Domus, durante hoc Bello utrinque captæ & occupatæ sunt, Suæ Celsitudini cum omnibus eo spectantibus Inventariis restituantur, salvis & illæsis Ejus Celsitudinis Agris, Incolis, Regalibus & Juribus omnimodo. Et si Ejus Celsitudo, sive Celsitudinis Ejus Ministri vel Subditi, in alterutrius Partis suspicionem incidisset, sive aliquid in Bello evenisset, quod finistre explicari, vel odium aliquod excitare posset, hæc omnino sublatum, sopitum & extinctum sit, & nunquam de cætero in memoriam revocetur, aut in cujuspiam præjudicium reperatur. Atque ita Celsissimus Holsatiæ Dux FRIDERICUS Gottorpii residentis, cum suis Terris, Regalibus, Juribus, Consiliariis, Ministris & Subditis, Pactis his comprehendatur, iisdemque plenarie utatur, fruatur.

## XL.

Pari modo ambo Comites ANTONIUS GUNTHERUS & CHRISTIANUS, Comites in Oldenburg & Delmenhorst &c. Domini de Jevern & Kniephausen, suo suorumque Hæredum nomine hac Pacificatione plenarie fruatur.

1645.  
Sept.

fruantur, & si quid peractum esset, quod vel iis vel eorum Ministris & Subditis secus ac bene imputari possit, hisce conventum, mortuum & sublatum sit.

1645.  
Sept.

## XLI.

Hisce quoque Pactis conventum est, omnes Hanseatico Fœdere comprehensas Civitates includi, ut gaudeant & fruantur liberis & non impeditis Commerciis, Terra Marique, in utroque Regno, reservata antiquorum inter Regna & Civitates Hanseaticas Pactorum in alia meliora tempora Observatione, neque alicui Civitati, Civi aut Subdito propter aliquam in hoc Bello actionem, mali quid inferatur aut intenteur.

## XLII.

In specie vero his includatur Civitas Gedanensis & fruatur pari modo, ut antehac, sua Commerciorum libertate in utroque Regno, Terra Marique, et si quid in hoc bello evenit, quod unam alteramve Partem offenderit, sublatum id ipsum sit & perpetua oblivione sepultum.

## XLIII.

Quicumque debita liquida in Suecia sive penes S. R. Majestatem Dominam nostram Clementissimam, aliosve, quæ nondum Fisco addicta & juxta Articulum XXIII. sublata sunt, habuerint; deinde illis, quibus in Gothlandia, Oeselia, Jemphthia, Heredalia aut Hallandia aliquid jure debeatur, ex æquo, postquam legitime probaverint, solvatur & satisfiat; similiter & Sueciæ nec non subjectarum Provinciarum Incolis, & qui in Gothlandia, Oeselia, Jemphthia, Heredalia & Hallandia habitant, jus fasque sit, legitima sua debita, & quod eis jure competit, sive apud R. Majestatem Daniæ, sive alios, exquirendi; & quicquid, ut superius dictum, non fuerit sublatum, solvatur & ex æquitate & justitia satisfiat.

## XLIV.

Ut autem hæc omnia memorata, Verbis & Sensu, quemadmodum scripta & hæc pacta decretaque sunt, ab utraque Parte, tuto, fideliter, candide & bene in præsens & futurum observentur & executioni mandentur, igitur conventum & promissum est, ut hæc amice juxta Pacta ab utriusque Regni Regibus, CHRISTIANA, Regina Sueciæ, & CHRISTIANO Quarto, Daniæ Rege, manu propria & secreto ratihabeatur, & in majorem observantiam, ab utriusque Regni Senatoribus subscribantur eorumque sigillis confirmentur.

## XLV.

Quia vero Christianissimus Galliarum Rex, nec non Regina Mater Franciæ Regens id in se oneris susceperunt, Ipsorumque Majestatis, Salus & Pax Septentrionalium horum Regnorum, in tantum curæ cordique fuit, ut sola earum Interpositione hortatibus & laboribus omnia huc usque deducta sint; igitur ab utraque Parte rationi consentaneum, & ad uberiorem inter Suas Majestates & utraque Regna Sueciæ Daniæque, stabilis & perpetuo duraturæ Pacis & Amicitiae vim roburque visum est, ut ad S. R. Majestates Regem & Reginam Regentem Franciæ, extraordinariæ Legationes ab utraque Parte mittantur, atque in benevoli affectus & curæ eorum, quæ hic acta sunt, contestationem, ut hæc Pacta Regiarum Manuum subscriptione & Secretorum appositione confirmare velint, decenter invitentur, & utroque majoris cautionis loco proprium habeat exemplar.

## XLVI.

1645.

XLVI.

1645.

Sept.

Sept.

Insuper sponsum & decretum est, quod unus Senator Regni cum Secretario ab utraque Parte ad limites die 13. Septembris conveniant, allaturi horum Pactorum Ratificationem, utriusque Partis Manu & Sigillo juxta eam formam, qui placitata est, confirmatam. Habituri sunt etiam Commissarii Danici Literas Cessionis super Jemphiam, Gothlandiam & Oesliam, ut & Cautionis super Hallandiam: Suecici vero Commissarii Cautionis Acceptilationem, omnia secundum Pacta & legitime perfecta, eademque invicem commutaturi, & mutuo extradituri sunt, in Pacis, Pactorumque robur & confirmationem & secundum æquitatem, veteremque consuetudinem.

In majorem fidem & securitatem, quod omnia hæc superscripta, in omnibus suis punctis, acta, conventa, decreta & conclusa sint, & ex Parte S. R. Majestatis Sueciæ Dominæ nostræ clementissimæ & Regni Sueciæ, rata & firma fideliter & irrevocabiler ferventur, & executioni mandentur, Ratificatio quoque ad dictum diem paretur & extradatur. Itaque hæc propriis manibus subscripsimus & sigilla nostra inferius apponi fecimus; petentes ab Illustrissimo & Excellentissimo S. R. Majestatum, Franciæ Legato & hujus Tractatus Mediatore, ut in majus firmissimum & testimonium hæcce una nobiscum subscribere & subfirmare velit: Actum Bromsbroe in limitibus, 13. Aug. Anno Christi 1645.

De la Thuillerie.

Axelius Oxenstierna.

Matthias Soop.

Thuro Bielke.

Thuro Spare.

## Summarischer Inhalt

des

## Siebenden Buchs.

- I. Conferenz der Evangelischen Gesandten zu **Osnabrück**, die **Exclusion** einiger Stände betreffend. N. I. & II. **Protocolla** darüber. N. III. zu **Münster** regulirte Punkten, die **Aufhebung** der **Kaiserlichen** Gesandten betreffend.
- II. Von der **Exclusion** einiger Stände bey der communication der **Kaiserlichen** Resolution. N. I. der **Fürstlichen Osnabrückischen** Gesandten Schreiben nach **Münster**, die **Admissionem Exclusionum** betreffend. N. II. **Eorundem** Schreiben an die **Culmbach** und **Würtembergische** Gesandten, in eadem **Materia**. N. III. **Deren** Antwort.
- III. **Reichs-Städtisches** Bedenken in puncto **Admissionis Statuum Exclusionum**.
- IV. Der **Churfürstlichen** Gesandten zu **Osnabrück** Schreiben nach **Münster**, den **Punctum Admissionis Exclusionum** betreffend.
- V. **Osnabrückische** **Deliberationes** wegen des nach **Münster** verfassten Schreibens, it. wegen **Zulassung** des **Oesterreichischen Directorii**, ingleichen wegen des **Methodi**, in **Beantwortung** der **Kaiserlichen** Proposition: Dabey gehaltenes **Protocoll**.
- VI. **Formalitäten** bey **Communication** der **Kaiserlichen**

- lichen **Responsion** an die **Reichs-Stände** zu **Münster**: **Chur-Maynz** behauptet die **Anfrage** zur **Proposition** gegen das **Reichs-Marschall-Amt**. **Aufhebung** der **Kaiserlichen** Gesandten.
- §. VII. **Ceremoniel** bey **Ablegung** der **Kaiserlichen** Proposition zu **Münster**.
- VIII. Der **Chur- und Fürstlichen** Gesandten zu **Münster** Antwort auf die **Kaiserliche** Proposition.
- IX. **Protestation** der **Frantzösischen** Gesandten wegen **Exclusion** der **Hessen-Casselschen** **Deputirten**: **Des Bischoffs** von **Osnabrück** darauf ertheilte Antwort.
- X. **Des Kaiserlichen Legati Volmars** Meynung hierüber.
- XI. Der **Frantzosen** **Protestation** bey den **Mediatoren** und **Churfürstlichen** Gesandten, wider die **Exclusion** von **Hessen-Cassel** und anderer ihrer **Confederirten**.
- XII. **Mediatores** conferiren daraus mit den **Kaiserlichen** Gesandten: von dem **Veneciantschen** **Oratore** deswegen vorgeschlagenes **Temperament**: **des Päpstlichen Nuncii** **Entgegensetzung** wider die **Admissionem Statuum exclusionum**.

N n n n

§. XIII.